

cretiae irrupit, pudicitiam expugnavit. Illa postero 4 □
 die advocatis patre et coniuge rem exposuit et se
 cultro, quem veste texerat, occidit. Illi in exitium 5
 regum coniurarunt eorumque exilio necem Lucretiae
 5 vindicaverunt.

Iunius Brutus sorore Tarquini Superbi genitus 10
 cum eandem fortunam timeret, in quam frater incide-
 rat, qui ob divitias et prudentiam ab avunculo fuerat
 occisus, stultitiam finxit, unde Brutus dictus. Iuveni- 2 □
 10 bus regiis Delphos euntibus deridiculi gratia comes
 adscitus baculo sambuceo aurum infusum deo donum
 tulit. Ubi responsum est eum Romae summam pote- 3
 statem habiturum, qui primus matrem oscularetur,
 ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiae 4
 15 stuprum cum Tricipitino et Collatino in exitium re-
 gum coniuravit. Quibus in exilium actis primus con- 5
 sul creatus filios suos, quod cum Aquiliis et Vitelliis
 ad recipiendos in urbem Tarquinius coniurarant, virgis
 caesos securi percussit. Deinde in proelio, quod ad- 6
 20 versus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte
 filio Tarquini congressus est, ubi ambo mutuis vulne-
 ribus ceciderunt. Cuius corpus in foro positum a 7
 collega laudatum matronae anno luxerunt.

Porsenna rex Etruscorum cum Tarquinius in ur- 11
 25 bem restituere temptaret et primo impetu Ianiculum
 cepisset, Horatius Cocles illo cognomine, quod in
 alio proelio oculum amiserat) pro ponte sublicio stetit
 et aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo
 interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit et arma-